ORATIO
NICOLAI SPONZA

J. U. D.

Et in Bononienſi Univerſitate

PUBLICI PROFESSORIS,

Cum in Solemni Studiorum Inſtauratione
Juris Civilis publice docendi munus
primum ſuſciperet.



BONONIÆ MDCCLIII.

Typis Ferdinandi Piſarri, ſub Signo S. Antonii.
Superiorum permiſſu.

Habita est in Gymnasio Utriusq. Jurist. Universit.

Oct. Idus Novemb.

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

GEORGIO AB AURIA

S. R. E. Card. Bononiæque de Latere
Legato

NICOLAUS SPONZA
S. P. D.



Uæ non modo animos mihi dederunt, sed etiam stimulos addiderunt, ut Orationem hanc tibi nuncuparem, PRINCEPS EMINENTISSIME, tot, tantaque sunt,

ut exigua præfatione contineri profecto non possint. Satis est scire, quis ipse sis, ut sciatur, quem ego mihi Mecœnatem paraverim. Nam & ex ea Familia ortus es, quæ vetustissima Sanguinis nobilitate, honorum splendore, divitiarum copia, rerum domi, & belli præclare gestarum memoria ab nulla alia in nostra Italia superatur; & eas Ecclesiæ dignitates obtinuisti, quæ ad Majorum tuorum laudes novam famam, & gloriam adijciant; & eas ab Natura animi dotes, ac virtutes accepisti, quibus excellente ingenii tui magnitudine, præclara doctrina, cultuque diligentissimo mirum in modum auctis, Familiæ tuæ, ex qua ortus es, nobilitatem antecellis, maximisque illis honoribus, quos obtinuisti, ita te dignum præbes, ut jure quodam tuo ad eos pervenisse dicaris. Nihil dico, quod non Bononienses omnes dicant, &

fa-

fateantur. Hi enim dum ſuaviſſimo regiminis tui jugo ſuppoſiti ſunt, propius te norunt in Agri præſertim conſervatione, & incremento, cui ſummo labore, atque impenſis proſpero, fauſto, felicique exitu provides. Cæterum ego non tam quæſivi Mecœnatem, quam Virum bonarum Artium, ac Litterarum peritiſſimum. Quam libenter, & attente audiviſti Orationem hanc meam fortunatiſſimo illo die, qui profecto & tua, & CARDINALIS STUARDI præſentia, atque humanitate toti litterariæ Reipublicæ ſplendidior illuxit! Jam vero ut Orationem ipſam audiſti, quam ſapienter, & benevole nonnulla, quæ emendatione indigebant, indicaſti, & emendari voluiſti! Quod cum ſapientiæ, & eruditionis tuæ argumentum eſt maximum, tum etiam ſummæ erga me humanitatis. Cujus quidem humanitatis tuæ ampliſ-

ſimum mihi pignus dediſti, cum me in eximia (ſic enim ipſe eam vocas) Prioratus dignitate conſtituiſti, in quo perilluſtri, ac perdifficili munere humaniter me ſemper excepiſti, & curam meam, atque induſtriam æqui bonique feciſti. Habe igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, hoc obſequii, grati animi, ingenii, diligentiæ meæ ſpecimen qualecunque, quod ſi æquo animo ſuſceperis, nunquam erit, ut me officii, atque inſtituti mei pœniteat. Vale.







I quid præter omnem expectationem meam accidere mihi unquam potuit, illud profecto fuit, cum me Amplissimi Senatus Patres Conscripti, quorum & principem locum tenetis, & vicem geritis, *Illustrissimi, atque Excelsi Justitiæ Vexillifer, & Antiani Consules*, incredibili, ac pene divino beneficio ad publicum docendi munus designatum, & renunciatum esse voluerunt. Ac mihi quidem quemadmodum res est diligentissime cogitanti, timendum jure videtur, quod timere se etiam fatebatur Marcus Tullius, cum pro obtenta Consulari dignitate Populo Romano grates agere instituerет, ne scilicet in hoc ornatissimo loco, in quem hodierna luce primum descendo, aut nimium arrogans dicendo sim, aut nimium ingratus tacendo. Possumne enim per Deos Immortales vestrorum magnitudinem, amplitudinemque beneficiorum tam parvi facere, Patres Amplissimi, ut in hac tanta sapientissimorum hominum celebritate illorum recor-

In Orat. de L. Agr. ad pop. cap. 1.

dationem turpiſſimo ſilentio prætercam? Me enim in eo dignitatis gradu collocaviſtis, in quo qui a vobis conſtituti ſunt, non modo in hac ſplendidiſſima Civitate, ſed etiam in univerſa Europa honore, & exiſtimatione maxime pollent; mihi publice docendi facultatem in eo loco dediſtis, qui ſemper maximis, & præſtantiſſimis Viris abundavit; mihi interclusam hactenus famæ, gloriæque veluti januam aperuiſtis, unde ad alios quoque honores in poſterum aditus pateat. Quod ſi præclarum eſt Scientiam aliquam publice profiteri in hac florentiſſima Civitate, quæ Studiorum Mater habetur, atque eſt; Juriſprudentiam profiteri erit certe præclariſſimum. Nam aliis quidem Civitatibus cæterarum Diſciplinarum primum quaſi cultum, & inſtaurationem fortaſſe concedetis; Juriſprudentia vero ad vos maxime pertinet, vobiſque ejus integritas, & vita accepta referenda eſt. Vivit adhuc, & vivet, quamdiu ſtabit Bononia, ſapientiſſimi illius Irnerii memoria, qui cum princeps omnium Juriſprudentiam in Italiam advexiſſet, Theodoſii Minoris juſſu in hac Civitate celeberrimam Juris Civilis Scholam aperuit, ſuiſque interpretationibus illuſtravit. Ita reliquæ omnes Scholæ ab hac Bononienſi profluxerunt, in qua ſexcentorum, & amplius annorum ſpatio præclariſſimi Juriſconſulti docuerunt, quorum numero immor-

tali

tali me beneficio vestro addidistis. Sed quid eruditissimis, ac sapientissimis illis Viris me confero, quibus neque ingenio, neque exercitatione sum comparandus? Absit absit, ut vestræ munificentiæ splendor mentis meæ aciem ita perstringat, ut non ingenii mei imbecillitatem, viriumque tenuitatem cognoscam. Sed quemadmodum satis clare video, quam demisse de me sentiam oportet; sic video, quam magna a vobis acceperim, & quantum vobis pro vestris in me meritis debeam. Itaque debitionis meæ est, summa beneficia vestra grati animi observantia colere, & voce prædicare; sapientiæ vestræ, necessariam orationis meæ licentiam ea, qua soletis, comitate temperare. Igitur quamdiu vitam hanc egero, vivet promeritorum vestrorum memoria nullo unquam tempore minuenda, & qualismecunque locus, cum Bononia discessero, excipiet, eximiæ liberalitatis, & munificentiæ vestræ argumenta omnibus ita ostentabo, ut intelligatur, quam gratiam vobis nunc refero summo animi obsequio, eam mihi colendam esse studio sempiterno. Atque illud in primis mihi lætandum jure video, quod eo die publicum docendi munus suscipio, qui sapientissimo Majorum nostrorum instituto solemnibus Studiorum Auspiciis consecratur, qui cum hac Litteratorum hominum præsentia tam celebri, ornatissimorum Ado-

lescentum, quorum utilitatem in hoc præsertim studiorum repetendorum limine spectamus, corona tam splendida magis candidus, ac faustus affulgeat, dubitare non sinit, quin quod opus tam fortunatis auspiciis incipitur, ijsdem bene faventibus felicissimum exitum consequatur. Duo igitur mihi hodierna luce facienda sunt, ut & Juris Studiosos, quæ quidem præcipuæ meæ partes esse debent, pro virili docere incipiam; & Studiorum Instaurationis muneri mihi imposito satisfaciam. In quo quidem indigeo judicio, & sapientia vestra, Auditores, qua si humaniter aderitis, ea me dicturum esse confido, quæ & vestra probentur auctoritate, & studiosissimis nostris Adolescentibus non mediocriter sint profutura. Sed jam me de Jurisprudentia dicere incipientem benevolentia vestra sustinete.

Postulat ipsa Jurisprudentiæ indoles, atque natura, ut quicunque ad solidam, germanamque Juris cognitionem adspirat, ab ea lege studiorum suorum capiat exordium, quæ sæculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta. Sunt enim leges non ab hominibus pro lubidine excogitatæ, sed ab ipsis Naturæ immutabilibus, atque æternis præceptis expressæ, quibus ut sancte, fideliterque pareamus, non Principis voluntas, aut imperium,

Cic. lib. 1. de leg. cap. 6.

non

non pœnarum metus, aut præmiorum ſpes, ſed eadem ipſa Natura, & recta Ratio nos cogit, qua & conſectemur honeſta, & a turpibus abſtineamus. Quæ cum ita ſe habeant, maximæ procul dubio habendæ ſunt grates præclariſſimis noſtrorum temporum Juriſperitis, qui negotium hoc vel ab aliis prorſus omiſſum, vel parum feliciter geſtum naviter, induſtrieque ſuſceperunt, ut civiles conſtitutiones cum naturalibus honeſtatis, æquitatiſque principiis conjungerent, itaque illarum certas origines, & vera exordia diligentiſſime perquirentes, illud tandem demonſtrare conati ſunt, Juriſprudentiam omnem, quemadmodum ſine eruditione, & eloquentia incompta ipſa eſt, atque ſordida, ita ſine exquiſita Juris Naturæ notitia infirmam eſſe, atque adeo prorſus inanem. Jubent ergo Viri ſapientiſſimi, atque inter Litteratos omnes facile principes, ut Adoleſcentes, antequam Civilem Juriſprudentiam diſcendam ſuſcipiant, ingenium ſuum omne, ac diligentiam in eam conferant, quæ dicitur Naturalis, pollicenturque fidentia maxima futurum, ut in illius ſtudio majores fructus ab ijs percipiantur, qui in hanc excolendam majores vires intenderint, modo ea methodus adhibeatur, quam ab ijſdem inventam, & concinnatam eſſe videmus. Ego vero (quoniam & Juventutis noſtræ utilitas, & muneris mei officium,

& quæ mihi a vobis data est, auctoritas facit, ut quod sentio, libere dicam) in Jurisprudentiæ Studioso Juris Naturæ cognitionem ita requiro, ut a subtilioribus quæstionibus abstineat; eorum, quæ mentis nostræ imbecillitatem superant, rationes non quærat; quæ vel inutilia, vel etiam perniciosa sunt, curiose non investiget; uno verbo hoc volo, ut in Juris Naturæ studio auream illam servet mediocritatem, quæ optima rerum omnium videtur esse moderatrix. Sic enim constituo, quemadmodum cibi, & potionis, quibus cæteroquin ad reficiendas corporis vires tantopere indigemus, immoderato quodam usu illæ ipsæ vires opprimuntur potius, quam reficiuntur; ita omnem Juris Naturæ investigationem non modo difficilem, & periculosam, sed etiam infestam, & pestiferam evasuram, nisi intra eos fines contineatur, *quos ultra, citraque nequit consistere rectum*. Nam cum propter humani ingenii infirmitatem, cæcasque tenebras, quibus undique obruimur, omnis quæstio, quæ ad rem aliquam cognoscendam instituitur, per se difficilis esse solet, tum ea difficillima, quæ in remotissima Juris Naturæ origine eruenda, cognoscendaque versatur. Etenim cæterarum quidem cultores Artium, & Facultatum, sive Physicæ illæ sint, sive Mathematicæ, sive Historicæ, sive Medicæ, habent certum aliquod principium extra il-

Hor. sat. 1. lib. 1.

illarum ſinum conſtitutum, quod cum omnes, qui aliquid ſciunt, veriſſimum eſſe velint, atque indubitatum, ſuper illud tanquam firmiſſimum fundamentum diſputationum ſuarum molem ſuperſtruunt univerſam. Illos ipſos divinorum arcanorum ſcrutatores Theologos, quis neſcit, ex Sacrarum Scripturarum Oraculis, Sanctorum Patrum Teſtimoniis, Romanorum Pontificum Decretis [quibus quid certius Chriſtiano homini debet eſſe?] doctrinarum ſuarum partem maximam haurire? Sola Juriſprudentia Naturalis eſt, Auditores, quæ nullis adminiculis extrinſecus adjuvatur, vel certe paucis, ijſdemque infirmiſſimis, quæque vel ab ipſis Philoſophis [jurene, an injuria id fiat, non eſt mea judicare] non modo in controverſiam deducuntur, ſed etiam palam, aperteque negantur. Itaque ex illius imis viſceribus, nempe ex primis illis obſcuriſſimis ideis, quas Natura nobis inſculpſit, eruendæ ſunt quæſtiones illæ de Eſſentia boni, & mali, de Felicitatis appetitione, de Humanarum actionum libertate, de earum Norma, & Principio, in quibus, ut Marci Tullii verbis utar, tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obſcuraviſſe dicuntur. Sunt enim [quis inficias iverit?] ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vi-

tam Natura perduceret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Divina eſt hæc Marci Tulii Ciceronis ſententia, cujus aurea ipſa verba, ut ſæpe vobis ſubijciamus, tanti Viri auctoritas poſtulat. Quid ſi quæ ab omni prorſus materie ſegregata, tam obſcura, arcanorumque ſimilia habentur, ut ab humani intellectus infirmitate ſatis clare, diſtincteque apprehendi non poſſint, hominum actionibus, & moribus, Reipublicæ regimini, humanæ ſocietatis conſervationi, & felicitati, quo demum Juriſperitorum omnium meditationes, atque ſtudia referri oportet, accomodentur? Equidem periculoſiſſimum mare navigandum ſuſceptum eſt, in quo omnia certiſſimum naufragium minitentur, quod ſi quis tutus effugiat, tabellam inſtruat, Dijſque votum ſuſpendat. Nolite expectare, Auditores, ut Gentium omnium, Populorum, Nationum leges, mores, ritus, conſuetudines afferam, in quibus varietatem tantam, confuſionemque animadvertere licet, ut dubitari non injuria fortaſſe poſſit, omneſne ab ijſdem principiis profluxiſſe dicendæ ſint. Quæ quidem ſi honeſtæ, juſtæque ſunt, facile eſt affirmare, omnes ab eadem honeſtate, & juſtitia tanquam ex fonte latices derivari; ſed colli-

Tuſ. diſp. lib. 3. cap. 1.

ga-

gare diverſas, conciliare contrarias, pugnantes componere, unde mira illa harmonia, atque ordo conſurgit, quo univerſa humana ſocietas gubernatur, res eſt perdifficilis, & ſupra hominum vires, ut ita dicam, conſtituta. Itaque ſingulorum conditionem paullisper cogitate, Auditores, quemadmodum non dicam corpore fragili, ſed animo prono ad libidines, facili ad vitia oculos luci aperuerimus. Circumſiſtimur omnes [quid enim diſſimulem?] animi perturbationibus, & cupiditatibus, ambitione, invidia, amore, avaritia, cæteriſque hujuſmodi pravis affectionibus, quæ nos huc illuc verſant, torquent, flectunt, exagitant, naturaque ipſa ardet in nobis ad hæc quaſi pabula cupidiſſimis motibus tendens ignis, quos qui virtutis veluti freno moderetur, ac regat, hunc ego cæteris quidem hominibus anteferendum exiſtimo, qui vero extinguat, planeque opprimat, Diis proximum judico. Magna præterea vis eſt Voluptatis, quæ delectationis, ac ſuavitatis imagine ſapientiſſimum quemque irretire poteſt, atque corrumpere, indeque fit, ut quos nullus labor, nulla difficultas a virtute avocare potuerunt, carnis illecebræ, & blandimenta propoſita voluptate in omne flagitiorum genus turpiſſime trahant. Sed quorſum hæc? inquiet aliquis. Quorſum? Ut intelligatis, quam ſalebroſum, aleæque plenum opus

aggrediantur ii, qui prima naturalis æquitatis exordia investigantes, ejusdem naturam, & veras proprietates definire conantur. Homines, inquis, sapientissimi? Sed tamen homines, animi cupiditatibus, & perturbationibus obnoxii, vitiorum fraudibus, & potentiæ subjecti, voluptatis lenociniis, & incantamentis expositi. Facile est, mihi crede, ut hic, ubi toties vel prima Sanctitas cessit, & homines sapientissimi cedant. Facilius est, ut dum incedis per ignes suppositos cineri doloso, excitentur repente flammæ, incendiumque maximum longe,lateque diffundatur. Facillimum est, ut dum pravis tuis affectionibus opportuna remedia paras, alimenta potius suppedites, neglectaque saluberrima medicina lethale venenum tibi propines. Quid? Avaritiæ inservis. Jam nihil miror, si a te sustineantur fraudes in contractibus, & inhonesta quædam lucra in commerciis defendantur. Incenderis libidine. Audio te sanctissima Castitatis vota impugnantem. Placet tibi cogitandi, agendique quæcunque velis libertas. Equidem placere non potest Religionis sanctitas, Sacrorum cultus, Deorum Immortalium timor, Principum reverentia, humanæ Cognationis nostræ incrementum. Utinam falsum esset, Auditores, quod certissima multorum opinione receptum est, eos ipsos, qui diuturnis in Jure Naturæ meditationibus ve-

Hor. odar. lib. 2. od. 1.

ræ Religionis fundamenta jacere, Legumque auctoritatem, æquitatemque sartam tectam tueri se prædicant, non suis modo factis, sed scriptis etiam, atque doctrinis & Religionem evertere, & honestissimas quasque Leges labefactare. Quo enim tendunt impiæ illorum voces, qui sacratissima Romanorum Pontificum Decreta *Papistarum*, *Pontificiorum*, *Romanensium* superstitiones appellant, blaterantque impudentissime, Ecclesiasticas Constitutiones bono Reipublicæ regimini non convenire, nisi ut Pontificum auctoritatem imminuant, & Catholicam Ecclesiam stirpitus eradicent? Quid aliud sibi volunt nefarii illorum conatus, qui divinam Sacrarum Scripturarum potestatem humano arbitrio ita subijciunt, ut ab eo robur earum omne deducant, nisi ut earundem cultum omnino pessundent? Sed fremant quantumlibet, & ad insaniam usque debacchentur homines perditissimi, nunquam tamen efficient execranda procacitate illa sua, ut quibusdam quasi cancellis constricta Pontificia auctoritate, Sacrarum Litterarum oracula summum veritatis gradum apud bonos omnes non obtineant. Jam vero quid illos machinari arbitramini, qui honestatis, ac turpitudinis canonas ab hominum voluntate repetunt, nobisque propter solam imbecillitatem supremo Legumlatori obtemperandum esse contendunt, nisi ut honesta turpibus,

ju-

justa injustis, bona malis permisceant, pietatemque adversus Deum Optimum Maximum de medio funditus tollant? qua sublata necesse est, ut fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollatur. Quo illos spectare putatis, qui summi Imperantis munia in exercenda tyrannide constituunt? Quo illos, qui actionum humanarum libertatem oppugnant? Quid vultis amplius? Clamant elata voce Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, penes quos majus est aurum, quam templum, donum, quam altare, qui decimant mentham, & anethum, & cyminum, & relinquunt, quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem:

Cic. de nat. Deor. lib. 1. cap. 2.

Matth. cap. 23.

Non natura potest justo secernere iniquum;
Sola est utilitas justi prope mater, & æqui.

Hor. serm. lib. 1. sat. 3.

Clamant πολιτικοὶ, Religiones omnes in Republica esse admittendas. Clamant ii, qui Naturalistæ dicuntur, non posse civiles leges cum Religione bene consociari. Quid mihi nunc eruditissimi Jurisperiti Obligationem internam ab externa secernant? Quid Obedientiam illam suam passivam proponant? Quid varias Amorum species humanitatis, justitiæ, beneficentiæ, amicitiæ, sexcentasque alias commemorent? Abeant enim vero abeant cum investigationibus suis istis acutissimis, atque inventis præclarissimis. Non placet nobis mendacium, πολυγαμία non placet.

Exe-

Execramur libidines omnes tanquam Juri Naturæ contrarias, damnamus uſuras, odimus Tyrannos, turpitudinem inſectamur. Videtiſne, Auditores, quænam peſtes erumpant ex immoderata cogitandi licentia, quæ nullis pietatis, & religionis vinculis coerceatur? Excurrit illa quidem modo effrænato quodam impetu, modo inſinuat ſeſe per cuniculos in depravatas hominum mentes, quibus dum veritatis imaginem, & adumbrata virtutum ſigna repræſentat, luctuoſiſſima errorum, vitiorumque labe coinquinatos miſerrime labefactat. Te infelicem, ſi quis es, qui venenatis iſtiuſmodi poculis labra admoviſti! Venenum hauſiſti, quod nulla medicina propellatur. Venenum, inquam, hauſiſti? Peſtifera te lues infecit, qua non modo ipſe contabeſcas, ſed etiam aliorum animos pedetentim corrumpas. Sed quod in reliquis rebus fere omnibus fieri videmus, ut non optimas, ſed quæ temporum moribus magis conveniunt, nulla ratione ducti probemus, idem neſcio quo fato in litteraria Republica ſolet uſuvenire, ut plerunque ea ſtudiorum ratio proponatur, ad quam nos Recentiorum judicium, & Sæculi conſuetudines abripiunt. Itaque etſi magna pars Juriſperitorum curioſiorem Juris Naturæ inquiſitionem magnis difficultatibus, atque periculis expoſitam norunt, tamen inani ſpe, & cupiditate gloriæ pellecti,

quod

quod nimirum ſic autumant, ſe in litteratorum Virorum cœtu eſſe numerandos, qualecunque vel improbum illius ſtudium ita probent, atque ſuadeant, ut ab eo omnis humana cognitio proficiſci videatur. Ab his ego [quoniam veros Catholicos ſe eſſe dicunt] hoc unum quæro: velintne ipſi marte ſuo nova ſyſtemata excogitare, & in apricum proferre; an vero Ducem aliquem proponere ex eorum numero, qui ut diſputationibus ſuis viam nobis ſternerent, & communirent, naviter deſudarunt? Si primum; exerant, per me licet, vires ſuas, ſtudeantque de litteraria Republica optime mereri. Addicant Aves eorum conatibus. Nos interim felices progreſſus, atque exitus avidiſſime expectabimus. Curent ipſi, ut alienis periculis edocti prudenter incedant, & meliora producant. Sin autem, quod magis veriſimile videtur eſſe, Duci alicui, & Præceptori inſtituendos nos tradunt, rurſus quæro: quemnam potiſſimum ſequi nos jubeant. Numquid Grotium? Sed obſcuritatis arguitur à Thomaſio. Num Puffendorfium? Sed impugnatur a Sekendorfio. Num Leibnizium? Sed a Ruardo *ſpinoſiſmi* accuſatur. Num Wolfium, num Budæum, num Thomaſium, num Cumberlandum? Sed fatetur Heineccius, eos omnes, & quoſcunque alios, vel doctrinas ſuas nulli certo, ac indubio principio ſuperſtruxiſſe, vel principia

In præf. ad elem. jur. nat. & gent.

pia

pia parum idonea admisisse, vel ea denique, tam longe ex subtilissimis, quas Methaphysica suppeditat, notionibus petiisse, ut data veluti opera omnia involvere voluisse tenebris videantur. Igitur in tanta hac hominum, & sententiarum varietate cuinam adhærendum est? Nemini inquam ego, Auditores, fretus humanitate,& sapientia vestra singulari. Sed quidnam audeam de studiis nostris definire, diligenter attendite. Credo ego, neminem dubitare, quin Legumlatores omnes, qui Civitatum utilitati, & felicitati maxime studuerunt, eas leges Populis proposuerint, quæ cum rectæ Rationi optime convenirent, earundem Civitatum publica, & privata negotia honestissima providentia regerent, atque foverent, unde Civium commercia, patrimonia, familiæ ab alienis fraudibus, atque insidiis custodirentur, ipsorumque animos, & voluntates communis quidam Amor, & affinitas ab æquitate naturali ducta inter se colligaret, cui demum Civitates omnes necesse est conservationem suam tribuant, ac diuturnitatem. Percurrite, si libet, maxima illa Romanarum Legum volumina [juvat enim ab eo Populo exempla petere, cujus jura interpretamur] quid in tam diffusa, ac pene dixerim immensa Jurisprudentia occurrit, quod non expressam honestatis, & justitiæ imaginem ostendat? Quæ enim alia Gens furta, &

adul-

adulteria acrius, quam Romana damnavit? In qua Civitate graviora fuerunt Perduellionis, Ambitus, Repetundarum, Peculatus, Parricidii judicia, quam Romæ? Cedo mihi religiosiores Tabulas Decemviralibus de Tutelis, de Hæreditatibus, de Dominio, de Possessione? Quid si SConsulta Macedonianum, Plancianum, Neronianum, Orphitianum, Legesque Julias, Cornelias, Aquiliam, Scriboniam, Lætoriam, Attiliam animadvertas? Nonne fatearis oportet, quemadmodum nulla alia Respublica armis, atque imperio major fuit Romana, ita neque ditiorem fuisse bonis exemplis, neque legibus sanctiorem? Nam si per tot sæculorum intervalla aliquid fortasse offenderis, quod neque constans, & diuturnum, neque ab eodem immutabili æquitatis principio derivatum videatur, ne continuo honestissima jura inhumanitatis, & injustitiæ reprehendas, quin potius temporibus, locis, moribus, Reipublicæ ipsius constitutioni pauca condones, donec re attentius considerata incorrupte, & prudenter dijudices. Neque enim cum imperio Consulari ea congruere potuerunt, quæ ab Regibus sancita sunt, neque seditiosi Tribuni Patrum decreta semper approbarunt, neque Imperatoribus sublata Senatus, Populique auctoritate Consularia jussa placuerunt. Accedit, quod illos ipsos, qui de Jure responderunt, in plures veluti

fa-

familias opinionum varietas ſecuit, unde inter Caſſianos, Pegaſianos, Sabinianos, Proculianos diſcordiæ, atque diſſidia magna animorum contentione agitata viguerunt, ex quibus reſponſa altera alteris contraria, & pugnantia orta ſunt. Adde varios Juriſprudentiæ ſtatus, ac vices, quam modo in verborum ſuperſtitione fundatam vides, modo ad lenitatem magis pronam, nunc in ſummum rigorem immutatam, nunc fortaſſe nimis remiſſam. Adde Senatum, Plebem, Comitia, Prætores, Tribunos, Conſules, Triumviros, Imperatores, Præfectos, alios alia jubentes, vetantes, corrigentes, addentes, antiquantes. Sed profecto in immenſo hoc aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo *Liv. lib. 3. cap. 14.* nihil invenies, quod non ab ſumma æquitate, & juſtitia ad hominum neceſſitates, atque uſus procedat, nihil, quod non maximam Reipublicæ utilitatem reſpiciat, nihil, quod non ad ejus incrementum referatur. Igitur præcipuum Juris Studioſi conſilium, atque cura ea eſſe debet, ut legum omnium principia ita inveſtiget, ut eam æquitatis, honeſtatiſque normam adhibeat, qua Reipublicæ ſtatum, Populi mores, Civium ſocietatem dirigat, ac dimetiatur; rationes quærat, ſed quæ ſint earundem legum ſuccus, & ſanguis, & anima; exploret origines, ſed quibus humanæ cognationis noſtræ fundamenta firmiſ-

ſima jaciat. Omnino. Naturalem æquitatem ab ipſius Juriſprudentiæ viſceribus eruat. Quid cautum, cur a Majoribus cautum, non quid cavendum fuerat, diligenter inquirat. Tempus fuit, quo beluarum more homines per ſylvas, & nemora vagarentur, perpetuumque bellum invicem agerent, cum pugnaret ratio, continentia, virtus cum temeritate, libidine, nequitia, iſque honeſtati, prudentiæ humanitati locus eſſet, quem peculiaris uniuſcujuſque utilitas, ignorantia, vis eſſe voluiſſet. Nunc autem maximo Deorum Immortalium munere dominantur leges ubique gentium, ac regnant, quæ inſtitutis commerciis, initis affinitatibus, diſtributis imperiis, præmiis, pœniſque propoſitis arctiſſimis ſocietatis vinculis nos, fortunaſque noſtras conjunxerunt. Ergo ſi Titulos de Dominio, & Poſſeſſione, ſi Nuptiarum Ritus, ſi Pactorum Conſtitutiones explicandas ſuſceperis, ad primam humanitatis originem, ad ſummum illud Juris Naturæ judicium cognoſcendum me trahes? Scilicet. Ut inde colligam ineptiſſime, Majeſtatis jura ſummis Principibus non bene convenire, fœminarum uſum promiſcuum eſſe debere, fœdera impune poſſe violari. Aut cum ad Decemvirales Tabulas de Furtis, ad Legem Juliam de Adulteriis perveneris, illud in controverſiam adduces, utrum hæc ſint mala, necne? Dubitas? Interroga bonos,

au-

audi leges, inſpice carceres, triremes, cruces, ſupplicia. Numquid ignoras, furtis, atque adulteriis Familiarum patrimonia diſſipari, Civium amorem, & concordiam everti, Reipublicæ vires, & nervos infringi? Te fugit, ex impuriſſimis iſtiuſmodi lacunis manare odia, ſeditiones, diſcordias, libidines, cædes, incendia? Alias rationes poſtulas? Non omnium, quæ a Majoribus conſtituta ſunt [ſic enim Leges 19, & 20 de Leg. interpretamur] rationes ab ſummis principiis petitas inquirere oportet; alioquin ſi certos fines prætergrediaris, multa, quæ certa ſunt, ingenio tuo, atque malitia ſubvertentur. Videorne vobis, Auditores, ſatis opportune rebus noſtris conſuluiſſe, ſi hanc Juriſprudentiæ tradendæ, diſcendæque rationem, quam oratione mea ſuadeo, judicio, & auctoritate veſtra comprobetis. Jactent igitur jactent alii inveſtigationes ſuas a remotiſſimis principiis petitas, nodum in ſcirpo quærant, quæſtiones excitent, in turbido expiſcentur. Nos planiore via incedentes memores officii noſtri ita in Jure Naturæ verſabimur, ut leges omnes ad naturalem æquitatem, quæ ſit cum Reipublicæ conſtitutione, atque utilitate conjuncta, referamus, nihilque a nobis proponatur, quod cum veræ Religionis principiis apprime non congruat. Quod ſi quis ingenii ſui viribus fidens nova cogitet, fictiſ-

que

que controverſiis jus omne pervertere, vel ſtudia noſtra difficultatibus, atque periculis in poſterum obijcere moliatur, capitalem hujuſmodi hoſtem, quemadmodum ab Urbe Romani olim expulſum eſſe voluerunt, ita & vos, Auditores, non modo a Provincia noſtra, ſed etiam ab univerſa litteraria Republica tanquam peſtem infeſtiſſimam exulare jubebitis. Tu in primis jubebis, *Princeps Eminentiſſime*, qui cum juſtitiam ab animi æquitate, imperium ab humanitate, legum vim a publica utilitate nunquam disjungas, nihil aut cogitas, aut agis, aut jubes, quod non te & Principem religioſiſſimum, & Antiſtitem juſtiſſimum oſtendat. Nonus jam annus vertitur, cum *Benedicti XIV. Pontificis Maximi* perſonam ſuſtines in hac Civitate, cui tanta ſapientia, fide, conſilio, æquitate, vigilantia ſumma cum bonorum omnium voluptate præes, ut ea cura, & benevolentia ad illius conſervationem, & felicitatem incumbas, qua Filius eſt erga Matrem, Civis erga Patriam. Nobis autem, Gymnaſioque noſtro quænam præclara vigilantiæ tuæ, amoris, & humanitatis argumenta ſuppeditas? Qui Scholarum noſtrarum Rector ampliſſimus nos in ſuſcipiendo, peragendoque ſtudiorum curſu exemplo tuo præcedis, hortaris conſilio, urges auctoritate, præmiis etiam confirmas, quemadmodum duobus abhinc menſi-

ſibus AUREA CRUCE Univerſitatum Priores decoraſti, cujus beneficii memoriam Prior, & Præſides Utriuſque Juriſtarum Univerſitatis eo monumento (*) æternitati donaverunt. Atque ſplendidiſſimis veſtigiis tuis inſiſtet fideliter, & religioſe, qui vicem tuam agit ſumma æquitate, prudentia, & integritate. Quidni autem *Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Prolegate?* Inſpice locum hunc, qui mihi hodie eſt ampliſſimus ad dicendum, hos parietes, totam hujus Gymnaſii molem magnificentiſſimam. Redacta eſt illa in formam hanc tam ſplendidam, ac ſingularem a *Divo Carolo Bonrhomæo S. R. E. Card. Bononiæque Legato*, cujus & eandem familiam, ſtirpemque jactas, & virtutes imitaris, qui in harum præcipue Scholarum conſtructione ſuum erga bonas Artes, & Univerſitates noſtras amorem, atque ſtudium patefecit. Hæc igitur nobiſcum animo cogitantes etiam atque etiam ſperamus futurum, ut quemadmodum facis in aliis omnibus, ita in hoc etiam *Divi Caroli* Propinqui tui exemplum tibi ad imitandum proponas, ut ſcilicet nobis, ſtudiiſque noſtris patrocinio tuo benevole faveas. Vos vero favebitis procul dubio, *Illuſtriſſimi, atque Excelſi Juſtitiæ Vexillifer, & Antiani Conſules*, qui nihil magis unquam ſtuduiſtis, quam quod Scholarum noſtrarum utilitatem, & incrementum reſpiceret, atque in eum maxi-

xi-

xime finem Adolescentibus hisce ornatissimis, qui ex longinquis regionibus in vestram Urbem studiorum caussa convolarunt, summa cura, providentia eximia, impensis maximis sicuti alteri Parentes adestis. Agite dum igitur, studiosissimi Adolescentes: in vado res est. Videtisne, quænam præsidia vobis parentur, ut ijs omnibus, quæ ad vestros profectus pertinent, abundetis? Utamini Eminentissimi Principis, & Amplissimi Senatus beneficio, qui vos præstantissimis Viris erudiendos tradiderunt, ut eorum sapientia, doctrina, & judicio non modo ad veram germanamque Legum cognitionem, sed etiam ad cæteras Disciplinas sine ulla diffidentia, & periculo mature perveniatis. Habetis enim gravissimos, & eruditissimos Jurisperitos, Theologos, Medicos, Philosophos, Mathematicos, Oratores. Illud unum reliquum est, ut tales sitis, quales & Princeps Eminentissimus, Amplissimusque Senatus vos esse volunt, & quales vos esse decet, ut intelligatur, Gymnasio Bononiensi nescio quo fato Adolescentum frequentiam deesse potuisse, Gymnasii Bononiensis Adolescentibus Eminentissimi Principis, Amplissimique Senatus vigilantia ingenium, ac diligentiam nunquam defuturam.

[*] D. O. M.

Emo ac Rvmo Principi

GEORGIO AB AURIA

S. R. E. CARD. BON. DE LAT. LEG.

QUI NICOLAO SPONZA

PRIORI ÆSTIVO

PRO SE AC SUCCESSORIBUS

AUREAM CRUCEM

NOVUM PRIORATUS ORNAMENTUM

PETENTI CONCESSIT

PRIOR ET PRÆSIDES

U. J. U. P. P.

A. MDCCLII.

Vidit D. Placidus Rambaldi Clericus Regularium Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana S. Petri Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. Archiepiscopo Bononiæ.

Die 10. Januarii 1753.

Imprimatur.

Fr. Cæsar Antoninus Velasti Provicarius Sancti Officii Bononiæ.

		ERRATA	*CORRIGE.*
Pag. 13.	lin. 21.	illæ de	illæ: de
20.	23.	Puffendorfium	Pufendorfium
	25.	Leibnizium	Leibnitium
		ſpinoſiſmi	*ſpinoziſmi*
24	5.	beluarum	belluarum